

Scholae Benedictinae

sive

De Scientiis opera Monachorum Ordinis S. Benedicti auctis, excultis, propagatis et conservatis Libri Quatuor

a Domino Odone Cambier Monacho Affligeniensis Monasterii
Ordinis ejusd. S. Benedicti.

(Continuatio ex fasc. II. h. ai. pg. 235—252.)

II. Caput XVI. Illustratum et inculcatum cursus studium pietatis, sine qua vana est omnis scientia.

Pietas
studium
antecellit.

Sic vivere Benedictinis Ascetis, quum scientias haurirent aut infunderent, solemne fuit. Nec aliter sensere aut scriptis docuere, qui illud divini Legislatoris praeceptum imbiberant: Nihil operi Dei praeponatur. Hoc religioso homine dignum; ita namque scientiis animum excolere, ut morum damna non sentiat. Recte Lupus Ferrariensis¹⁾ Abbas: Si vigilanter poliendo incumbimus eloquio, multo maxime consequendae honestati atque iustitiae operam impendamus oportet. Verebatur sane maiorem in modum Eginhardus Abbas, Carolo Magno quando a secretis, ne Wssinus Monachus, quem Fuldam, ut ego quidem coniecto, ad literarium mercatum destinaret, fervore aetatis abreptus, in vitia diffunderet. Quare et his praeceptis muniendum censuit:²⁾ Sicut te praesens monui, in studio discendi te exere, et quidquid ex illo lucidissimo et abundantissimo magni oratoris ingenio assequi nobilis scientiae potueris, nihil intactum relinque. Maxime autem probos mores illius, quibus excelluit, imitari memento. Quoniam Grammatica et Rhetorica, ceteraque liberalium artium studia, vana sunt, et valde nociva servis Dei, nisi per gratiam divinam bonis moribus subesse noscantur. Quia scientia inflat, caritas vero aedificat. Melius mihi quidem est, ut te mortuum videre contingat, quam inflatum et scatentem vitiis. Non enim Salvator a se miraculorum facta, sed mansuetudinem et cordis humilitatem discere praecepit. Haec graviter, ut ex vero sapientissimus Eginhardus.

Haec una
Deo placet

Cui accinit Joannes noster Gersenus libro primo de imitatione Christi, cuius sensum quum scite venusteque reddiderit Thomas Melzerus,³⁾ non erit, ut opinor, lectori ingratum, eius versus audire:

Quod si doctrinam popularis adulteret aura,
Plus venti sapiens, quam pietatis habet.

¹⁾ Lupus Ferrar. cap. 35. — ²⁾ Eginh. Epist. 30. tom. 2. Script. Hist. Franc. — ³⁾ Lib. I. de Imit. Christi c. 3.

O si virtuti labor excubet, inter inanes,
 Quem tibi subripiunt vafra Licaea, tropos!
 Et melior facies rebus mortalibus esset,
 Lauraque decrepito pelleret ore situm.
 Ultima quippe dies, non quam bene dixeris, olim
 Sed quam pura tibi vita sit acta, petet.
 Una Deo doctrina placet, vis noscere, quaeenam?
 Nolle, quod is nolit, velle quod ille velit.

Ita scilicet in perdiscendis disciplinis opera collocanda est, ut doctrinae, quae secundum pietatem est, potior ratio habeatur.

Haec eruditos corde, et vere sapientes efficit, non illa quae de terris est profana scientia. Quod Isidorus Pelusiotae eleganter mihi visus declarare in epistola, ad Ophelium Scholasticum.¹⁾ Ait enim neque dictionum aucupes, nec Oratores, nec Dialecticos, nec qui ob discendi facultatem gloriantur, esse proprie appellandos sapientes. Ad quod nomen tuendum, et sustinendum pro dignitate, tria requirit, primum Virtutem deinde Philosophiae cognitionem, tertio loco Sophiam, in supremarum et divinarum rerum intelligentia positam, quam alio nomine vocat εὐσέβειαν, pietatem. Illud primum ait esse veluti fundamentum, operisque stricturam; secundum, velut ornamentum; tertium ut coronidem atque fastigium, quo res tanta coronetur. Et quemadmodum ubi nullum fundamentum est, aut iam positum stulta molitione subruitur, nec ornamenta, nec coronamenta esse possunt; sic eiecta repudiataque virtute, ruit omnis eruditionis coagmentatio, et eodem ipso motu subsidit.

vere sapientes efficit.

Tolle pietatem, nihil in profana doctrinarum apparatu reliquum erit, quod magnopere laudem mereatur. Quem orbiculum, et alios plurimos perecurrisse, nemo prudens ibit inficias. Justa proinde mihi videtur Lupi Abbatis Ferrariensis, quaerela, dum ad Ebrardum Monachum ita scriberet:²⁾ Remiscentem in his nostris regionibus sapientiam quosdam studiosissime colere pergratum habeo. Sed hinc haudquaquam mediocriter moveor, quod quidam nostrum partem illius appetentes, insolenter partem repudiant. Omnium autem consensu nihil in ea est, quod jure excipi aut possit, aut debeat. Quare apparet nos ipsos nobis esse contrarios, dum insipienter sapientiam consequi cogitamus. Etenim plerique ex ea cultum sermonis quaerimus, et paucos admodum reperias, qui ex ea morum probitatem, quod longe conducibilius est, proponant

Nec datur scientia ubi deest pietas.

¹⁾ Isid. Lib. 2. Ep. 201. — ²⁾ Lup. Ferrar. Epist. 35.

addiscere. Sic linguae vitia reformidamus, et purgare contendimus: vitae vero delicta parvipendimus et augemus. Quomodo vero recte expetenda sit sapientia, deinceps docet: Sed cum omnis sapientia a Domino Deo sit, ut literae divinae demonstrant, ordine congruo eam appetamus, et procul dubio consequemur. Id autem nobis ex divina auctoritate depromitur: Fili, inquit, concupisti sapientiam, serva mandata et Dominus praebet eam tibi. Ubi etiam quid sit sapientia summe ac pulcherrime definitur: Timor Domini inquit, est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Ceterum de his qui perperam vivunt, et integre loqui concupiscunt, et corruptos sermones quam mores aspernantur, sic instruuntur: Omnis labor hominis in ore eius, et anima illius non replebitur. Quia dignum profecto est, ut qui primas partes eruditioni tribuit, non sanctitati, a refectione sapientiae exitiali ieiunio excludatur. Ita Lupus. Quare falluntur, et quidem egregie, qui neglecta virtutis, et potissimum orationis exercitatione, omnem mentem et animi cogitationem non ad profana et leviora duntaxat, sed etiam Theologica studia conferunt. Hoc scilicet est, corollarium et accessionem ei rei, quae praecipua et caput Religioso esse debet, praeferre. Atqui, ut Leges dicunt,¹⁾ Accessorium non potest esse maius principali, et ridiculum esset tunicae fundum accedere. Non raros tamen invenire est, quibus illud Satyrici, paucis immutatis, non tam in ore versetur quam in opere placeat.

O cives, cives, quaerenda scientia primum est,
Virtus post musas.

At quid vanius et stultius, amabo quam huiusmodi cogitationes in animum admittere, nedum verbis factisque prodere? — Abite literae, clamat doctissimum Belgarum,²⁾ et tot labores, si nomen aut fama tantum, id est nugae et vanitates ex iis quaerantur. Conamur idem in docendo: vocem ac praecepta dirigimus ad animos formandos et firmandos.

Hunc sane scopum in oculis habuere Magistri scholarum Benedictinorum, quos inter longe ceteros antecelluit B. Rhabanus Maurus, quem non tantum discentibus sed et docentibus literas Benedictinis ita Trithemius imitandum proposuit: Curavit etiam hoc beatissimus Monachorum institutor. In quo docendi genere beatus doctor Rhabanus praeceteris notabiliter emicuit: qui suos auditores imprimis ad iustitiam erudivit, quibus inter legendum crebo per-

Quod B.
Rhabani
exemplo
illustratur.

¹⁾ D. de Aichl. Edict. 2. justiss. 8. 1. — ²⁾ Lips. cent. 3. ad Belg. c. 39.

suadere conatus est, mores suos regularibus conformare sanctionibus, evangelicisque ante omnia semper obedire institutis. Docuit illos mundum, et omnes voluptates carnis pro Dei amore contemnere, vanitates transitorias et seculi pompas fugere, et omnem concupiscentiam inordinatae voluntatis declinare. Deum pura mente super omnia diligendum monuit, et sedulo, ut se reminiscerentur morituros, discipulis lector inculcavit. Monasticae religionis tam sincerus fuit amator, ut in auditorium suum neminem admitteret, nisi prius mentem eius diligentissime super integritate observantiae regularis explorasset. Unde si quos mente aut corpore vagos et ad observantiam Monasticae disciplinae minus reperisset idoneos, tanquam animalia bruta et bestias immundas, ab accessu montis divinarum scripturarum arcebat dicens. Scriptum est: Bestia, quae montem tetigerit, lapidibus obruatur. Propterea fratres abite, et primum discite vos mente componere, ut moribus emendatis digni sitis cum Mose Dei sermones in montis cacumine audire. Nemo enim Dei scripturas discendo utiliter percipit, cuius adhuc anima vitiorum pulvere sordescit. Et haec forma docendi sancto viro semper familiaris extitit ut studio literarum iustitiae praeponeret disciplinam, et scientiae scripturarum anteferebat pietatem. Sic ille, nunquam satis laudatus doctor. Valuitque adeo apud discipulos eximii praeceptoris monitio et exemplum, ut plures eorum nullum exercitationis genus duxerint in praeteritis, quo mens vel melior effici, vel opera rectius publice privatimque collocari posset: nec a divinis laudibus et religionis officiiis subsecivi erat temporis tantillum, quod non vel studiis darent, et apparatus ingenuarum artium, vel lectioni auditionique sacrarum scripturarum.

III. Caput XVII. S. Scripturae studium Benedictinis Usitatissimum. Eius rei causae.

Quoniam vero sacrarum scripturarum hic mentio illata est, commodum iam videtur demonstrare, nostros ad eas intelligendas omnem potissimum industriam et operam contulisse. Hoc palmarium eorum opus; nihil in munere suo maius atque praestantius esse putarunt, quam in hoc studio haerere, atque ingenii nervos omnes intendere, Petit, et disquirat Eduardus Maihew,¹⁾ unde Benedictinis tanta pietas cum tanta scientia? Ex eo sane, respondet, quod sacrarum scripturarum studio imprimis operam dabant.

Benedictini s. Scripturae studio avidè incumbunt.

Docebantur quidem, et discebantur inter eos omnes, liberales artes, et scientiae, at haec omnia ad sacrarum scripturarum studium et scientiam dirigebantur. Hic erat omnium aliorum studiorum scopus, et finis. Non impendebant Monachi omnes annos suos in discutiendis

Caetera studia ad hoc diriguntur.

¹⁾ Eduar. Maih. praefat. in Fab. 3. Troph. Angl.

subtilitatibus Philosophicis, sed nec in scrutandis, et elucidandis curiosis quaestionibus Theologicis, quae distractionis potius et superbiae, quam pietatis, et religiosae humilitatis origo saepissime sunt: sed in his et aliis sufficienter eruditi, ad sacrarum scripturarum studia se totis viribus accingebant, quibus, ut merito loquitur Trithemius, non solum illuminabantur intellectu, sed compungebantur affectu. Imo ex harum studio, tanta afficiebantur dulcedine, tantamque voluptatem inde hauriebant, ut prae illo omnes saeculi non tantum delicias et voluptates, verum et divitias, honores, ac dignitates fastidirent, ac despicerent. Satis hoc indicavit doctissimus ille Ruthardus, Monachus primum Fuldensis, deinde Hirsaugiensis, cui cum Ludovicus imperator Halberstatensis ecclesiae offerret pontificatum, acceptare recusavit, dicens: Da episcopatum alteri, qui sit idoneus; ego quietem vitae regularis et studium Scripturarum omnibus divitiis et honoribus mundi incomparabiliter duxi praefendum. Refert haec Trithemius in Chronico Hirsaugiensi an. 893. Et hinc est, quod idem Trithemius, imo Venerabilis Beda noster ipso multis saeculis antiquior, non aliam fere laudem hominibus doctis, praecipue Monachis tribuunt, quam quod fuerint in Sacris Scripturis sufficienter eruditi, docti, eruditissimi, doctissimi etc.

Hoc et virtutum schola. Sic Eduardus Necopus, ut arbitror, Catalogum texere, ac per singulos ire, quum nullus eorum fuerit, qui sacrarum scripturarum studio non plurimum tribuerit, adeoque eorum adminiculo ad eruditionem et sanctitatem enitendum sibi crediderit. Hinc¹⁾ Reginbertum Monachum sic affatur Lupus Ferrariensis: Hortor ne divinae scripturae nulla tibi fuerit cura, cuius et usus frequens est, et cognitio salutaris. Eiusdem ad Godescalcum Monachum haec sunt voces:²⁾ In amplissimo scripturarum sanctarum campo spatiamur, earumque meditationi nos penitus totosque dedamus. — Praeclare inter alios id praestitit B. Egbertus Episcopus, S. Bedae discipulus, de quo autor anonymus vitae B. Alcuini: Cuius (Bedae) sequens Herbertus vestigia, Scripturarum rimando penetrabilia. Plures huius generis et studii Heroes accurrunt in duobus prioribus libris Joannis Trithemii de viris illustribus Ordinis S. Benedicti. Iniquus tamen sim ipsi Trithemio, si quod ipse de sacris literis censuit, hic praeterivero. Fratres enim suos ita quodam loco alloquitur: Abbas sum vester, quamdiu voluerit ille qui me vocavit; si alterum e duobus oporteat, Abbatiam malo dimit-

¹⁾ Lup. Ferrar. ep. 6. — ²⁾ Idem Epist. 30.

tere, quam sancto scripturarum studio renunciare. Scio enim vere nihil in hac vita homini claustrali salubrius posse contingere, quam divinas coeperit scripturas veraciter amare.¹⁾ Macte hic cogitationibus Trithemii, pluris certe has voces ego fecerim, quam Maximiliani Caesaris, Principum Electorum, favores et munera; nec eruditorum ex Italia, Hispania, Gallia, et tota Germania ad te tanquam oraculum concurrentium applausus, cum iis aestimari possit.

Cur autem nostri potissimum sacrarum literarum studium amaverint, et ceteris liberalium artium disciplinis longe praetulerint, non una causa occurrit. Duas hic commemorasse sufficiat. Prior sit S. Scripturae multiplex utilitas; altera eiusdem obscuritas, de quibus multa Interpretes. Trithemium, dum in manibus adhuc est, loquentem audire libet.²⁾ O si Claustrales nostri nunc Scripturarum studiis veraciter, ut olim, insisterent; quam utiles et sibi, ac Ecclesiae Catholicae existerent! Scientia enim scripturarum est, quae humiles utiliter ponit in sublimi, pauperes ditat, despectos glorificat, devotos juvat, Praelatos ornat, a saeculo Monachos segregat, vitiis purgat, virtutum gradibus exaltat. Ipsa est enim, quae fidem format, caritatem ordinat, spem erigit, iustitiam colit, temperantiam instruit, prudentiam dirigit ad regulam pietatis. Sacra Scriptura fons est sapientiae, semita iustitiae, forma disciplinae, apotheca salutis, Magistra veritatis. Hanc si amaveris, veraciter invenies: et si in convictu eius permanseris, cor tuum ineffabili gaudio delectabit: ita ut omnes huius mundi honores, et divitias in illius comparatione velut pulverem contempnas exiguum. Docebit enim te adversa mundi cuncta vincere: oblectamenta voluptatum spernere: pulchra huius vitae ut foeda aestimare. Si hanc sponsam dilectam habueris, nunquam perniciose tristis eris: sed semper iucundus, semper hilaris, semper in amore Dei proficiens. Haec aliaque multa de S. Scripturae fructibus Spanhemensis Abbas, quibus ista in homiliis addidit:³⁾ Nihil post Deum in hac vita suavius sumitur, nihil dulcius sentitur, nihil mentem ab amore huius mundi validius separat, nihil contra omnes adversariorum tentationes militem Christi adeo confortat, quemadmodum lectio frequens, et studium ardens Scripturarum. Hactenus Trithemius. Sed alia multa sunt in Patribus, quae ad Scripturae sanctae utilitates, praedicandas et commendandas faciunt. Hinc aureum illud S. Joannis Chrysostomi effatum:⁴⁾ Scripturarum lectio, coelorum est reseratio. Isidorus Pelusiota⁵⁾ divinam Scripturam prata longe amoenissima nuncupat, quae nectare velut coelesti irrigua, purissimorum florum

Multiplex
S. Scripturae
utilitas

¹⁾ Trith. homil. 4. — ²⁾ Idem de sanct. script. manu al. c. 2. — ³⁾ Idem Homil. 4. — ⁴⁾ Chrys. hom. 2 de Verb. Isa. — ⁵⁾ Isid. L. 3. ep. 388.

copia et varietate redundant. Cyrillus eandem esse ait,¹⁾ ut floridissimum quendam agrum; Gregorius Magnus appellat divinum puteum, qui divinitus ad mentem irrigandum donatur; Zeno Veronensis, Scalani Jacob; Rupertus Tuitiensis, regiam ad Deum viam. Quae et sexcenta illius generis, subtiliter a doctissimis illis viris excogitata ad vim coelestium oraculorum excellentiamque declarandam, magnum pondus adferunt.

Alteram vero sacri huius studii causam expressit
Invicta
eiusdem
obscuritas. illa perpetua, et, ut ita loquar, invicta sacrarum paginarum obscuritas, quae in tanto commentariorum lumine, tamen adhuc de humani ingenii debilitate triumphat.

Nimirum Abyssus Abyssum invocat; hoc est, ut ait Euthymius, vetus et novum testamentum, ob profunditatem oculorum sensuum. Huius tanti profundi fundum nemo adhuc luminibus attigit, sed multi quum acrius oculorum aciem intendissent,prehenderunt, abyssi magnitudine superari animi lumen, atque mentem obtenebrari. Scribit enim Isidorus Pelusiota,²⁾ qui multos annos in meditandis libris divinis contriverat, in iis paginis, arcanos esse thesauros altissime defossos, sic ut sapientissimi et eloquentissimi quique homines, ad sententiarum profunditatem aestuent, animique vertigine afficiantur. Huc etiam aspexisse videtur Magnus Basilius, cum ait³⁾ divinam scripturam habere infinitum quoddam in cognitione: neque ullum quamdiu vitam in terris ducimus, eius arcana posse omnino comprehendere, cum maioribus in dies singulos progressibus faciendis, aliquid novi assidue semper acquiratur. Est enim obscuris plena mysteriis, quibus exquirendis, ut Tertulliani verba usurpem, non lucernae spiculo lumine; sed totius solis lancea opus est. Itaque Cyrillus vocat divinam scripturam, perobscurum et aenigmatis refertum sermonem⁴⁾: et alio loco, esse illius sententiam captu difficillimam. Cumque otium, et exquisitam ipse diligentiam, in Prophetarum oraculis exponendis, intelligendisque posuisset, quasi superatus ea difficultate, profitetur esse,⁵⁾ longe maximam in verbis difficultatem: vel, in Amos, ait, sepulta et defossa in litteris mysteria. S. Augustinus⁶⁾ in sacris litteris agnoscit pariter multiplices sinus, opacosque recessus. Ita lucet doctrina sacra, ut abscondatur, ita ferit oculos, ut celeter aufugere videatur, ita menti lectoris alludit, ut socordem et superbum illudat. Non mirum igitur nostros Monachos assidue in eo studio sese exercitasse, neque libros sanctos e manibus prius

¹⁾ Cyrill. Glaph. in Gen. L. 4. — ²⁾ Isid. l. 2. ep. 5. — ³⁾ Basil. tom. 2. ep. 353. — ⁴⁾ Cyrill. in Mich. n. 5 et n. 11. — ⁵⁾ Idem in Apoc. n. 51. — ⁶⁾ Aug. ep. 141 ad Algar.

posuisse, quam e vita migrandum foret, ut quod hic in speculo et aenigmate vidissent clarius intuerentur in coelis.

IV. Caput XVIII. Legendi et dictandi exercitatio a Benedictinis usurpata.

Lectionem esse omnibus necessariam, qui animum virtutibus, et ingenium optimis excolere velint, merito sapientes viri dixerunt. Hinc illud S. Augustini:¹⁾ Labor honestus est lectionis, et multum ad emendationem animi proficit. Utile et hoc Senecae monitum:²⁾ Inter studia versandum est, et inter authores sapientiae, ut quaesita discamus, nondum inventa quaeramus. Eisdem vero authores, ait plenum et refertum, eundemque amoenissimum hortum exhibere, unde studiis apta suis, colligere quisque possit: quemadmodum in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam. Scienter dixit idem Philosophus: Alit lectio ingenium.³⁾ Imo, ut alius inter antiquos, author observavit: Tale est ingenium naturae nostrae, ut torpescat, si usus destiterit lectionis: quia sicut ferrum nisi usum fuerit, aeruginem contrahit, ita et anima nisi frequenter divinis exerceatur lectionibus.⁴⁾ S. Damasus Papa scribens S. Hieronymo, dum assiduam eius lectionem laudat. Hoc enim, inquit, velut quotidiano cibo alitur et pinguescit oratio.⁵⁾ An tu existimas, ait Tullius, suppetere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus?⁶⁾ Inde sane et ingenio lumina exoritur, et animo vis, et in dicendo laeta, et honesta varietas, atque mentis utilissima in dies et beata cognitio gignitur, ut verissime dictum sit a B. Ambrosio,⁷⁾ frequenter lectionem doctrinae munus operari.

Benedictinis lectio frequens.

Quod exemplis illustratur.

Quae quum nostri Ordinis homines non nescirent continuae librorum lectioni, cum suppeteret tempus, intentos et studiose affixos fuisse credibile est. S. Abbo Floriacensis Abbas nullum intermittebat tempus quin legeret, scriberet, dictaretve, ut Aimoinus scriptum reliquit. S. Bonifacius Archiepiscopus et Martyr maius aliquid praestitit, qui, teste Willebaldo,⁸⁾ Ab infantia usque ad decrepitam aetatis senectutem, praeteritorum non mediocriter patrum sapientiam imitatus, dum Prophetarum iugiter et Apostolorum verba, stilo sanctitatis conscripta, et gloriosam Martyrum passionem

¹⁾ August. Serm. 112 de temp. — ²⁾ Sen. ep. 104. — ³⁾ Idem ep. 84. —

⁴⁾ Aug. sive author qq. nov. et Vet. Test. q. 120. — ⁵⁾ Apud Hieron. ep. 124. — ⁶⁾ Orat. Cic. pro Arch. — ⁷⁾ Ambros. Sermo 12. in psal. 118. — ⁸⁾ Willib. in Vit. S. Bonif. c. 3.

literarum apicibus insertam, sed et Evangelicam Domini Dei nostri traditionem, quotidie commendabat memoriae. Rursumque postea: In tantum Scripturarum exarsit desiderio, ut omni se intentione earum imitationi, et auditioni coniungeret. Quod sane restatum fecit, quum ex ipsa Anglia codices ab amicis enixius expetiit. Quales vero hi fuerint, in variis quas ad varios antistites dedit literis legere est.¹⁾ Recensentur in iis Epistolae S. Petri Apostoli, Quaestiones S. Augustini Anglorum Apostoli, et ad eas S. Gregorii responsa; eiusdem Gregorii Epistolae; Commentarii in S. Pauli Epistolas; Venerabilis Bedae Commentarii; omnigeni Sanctorum Patrum tractatus; Sanctorum Martyrum acta. Quid, quod nec in ipsis itineribus Evangelicis, et Apostolicis functionibus praepeditus, legere desiit? Nam quum apud Frisios mortem pro Christo gloriose oppetiit, sicarii fractis librorum repositoriis pro auro volumina, pro argento divinae doctrinae chartas repererunt, ut tradit Othlonus.²⁾ Et vero gemmas thesaurumque argento et auro longe pretiosorem, si nefarii homines invenerant, sacros libros pro merito aestimassent.

Libros
plusquam
aurum et
gemmas
habent.

Fecit Pius II. Pontifex Maximus, de quo Platina memorabile illud suis monumentis prodidit: Libros plusquam sapphros, et smaragdos, caros habuit, quibus Chrysolithorum magnam copiam inesse aiebat. Persuasum id plane habebant scholastici nostri, qui intenti in utilitates, quae legendo percipiuntur, in libros tan-

quam ad oram piscariam vel auri fodinas ferebantur, ut e pulcherrimis scriptorum monumentis, scientiae gemmas colligerent, et doctrinae corollam capiti suo contexerent. Hinc chartis impallescere, et noctes brevi vel nullo somno diffindere, solemne fuit.

Quam
necessaria
lectio.

Lupus sane Terrariensis de studiis suis disserens,³⁾ Lectione Magistra se uti, et usum esse sine fuce profitetur. Rogatus vero ab Imnone, quos libros in Germania vel scripsisset vel legisset; ita respondit:⁴⁾

Simpliciter vobis aperio, principem operam me illic destinasse Lectioni. Origines ille apud nonnullos Chalcentirus audiit, quod ad continuas lectionis, graviumque studiorum laborem, quasi ferreus, et adamantinus videretur: at longius a vero non abibit, qui Bedam, Alcuinum, Rhabanum, Haimonem, Strabum, aliosque ex Ordine nostro scriptores, Origeni suppare fecerit. Nam quantumvis in excogitando sagacissimi essent, bibliothecas tamen commentationibus suis implere non potuissent, nisi et ipsi, libros complures pervolvissent, e quibus hausere, quod in nos postea uberius refunderent.

¹⁾ Epist. 28. 25. 5. 8. 9. 85. 150. — ²⁾ Othl. in vita. — ³⁾ Lup. Epist. 34. — ⁴⁾ Idem. Epist. 41.

Fieri sane haudquaquam potest, ut acer animus et solers, torrentes eruditionis legendo ebibat, quin illico torrentes profundat sapientiae. Lectione enim incalescit animus, afficitur, et quasi divino aliquo Numine afflatus, necesse est (quod dixit Cicero) intelligentiam suam excutiat, et conetur secundum illud Virgilii non absimile de sibylla: — totum si pectore possit Excussisse Deum.

Itaque quasi entheatus extrinsecus sibi ab authoribus inspirata, tum concepta intrinsecus fundit oracula. Dictandi
exercitatio. Atque hinc nota est illa dictandi exercitatio nostris

usurpata et notissima, quam in erudiendis suis, secutus Rhabanum, candidus eius discipulus, ad Modestum presbyterum, Monachum et Collegam, scribit: Notum facio tuae charitati, quod anno praeterito dominus Abbas Rhabanus, cum illi querebar, quia non haberem quemquam mecum consociorum, cum quo in divina lectione, disputando et legendo, proficere potuissem; tale mihi responsum referebat: Exerce, inquit, temetipsum legendo, et aliquid utilitatis adde, dictando. Nam dum ego ibidem, ubi nunc ipse moraris, quondam commorarem, librum prosa et versibus, in laudem sanctae Crucis divina gratia inspirante, incepti; atque fidelibus legendum studioso labore consummavi. Haec ille. At quam diligens et assiduus in ea exercitatione Venerabilis Beda? Non referam, quae valens et vegetus legit, scripsit, dictavit. In ipso morbo, imo propinqua morte, cygneas viri sancti voces calamo excepere discipuli: quod habemus ab oculato teste, Cuthberto nimirum eius discipulo postea Abbate, cuius in Epistola ad Cuthwinum Lectorem, et Collegam suum, haec carptim adnotabam: ¹⁾ Gravatus quidem est infirmitate maxima creberrimi anhelitus, sine dolore tamen, ante diem Resurrectionis Dominicae fere duabus hebdomadibus. Et sic postea laetans et gaudens, gratiasque agens omnipotenti Deo omni die et nocte, imo horis omnibus ad diem Ascensionis Dominicae, id est, VII Kalendas Junii, vitam ducebat, et nobis suis discipulis quotidie Lectiones dabat. Post pauca pergit: Cum autem venisset tertia feria ante Ascensionem Domini, coepit vehementius aegrotare in anhelitu et modicus tumor in pedibus eius apparuit. Totum autem illum diem in docendo ducebat, et hilariter dictabat, et nonnunquam inter alia dicebat: discite cum festinatione, quia nescio quamdiu subsistam, et si post modicum tollat me factor meus. Nobis autem videbatur, quod suum exitu praesciret. Et sic noctem in gratiarum actione pervigil duxit, ac mane illucente, id est, quarta feria, praecepit diligenter scribi quae coeperamus, et hoc facto, a tertia hora ambulavimus cum reliquiis sanctorum, sicut consue-

¹⁾ Extat tom 1. oper. Bed. et tom. 5. sur.

tudo illius diei poscebat. Unus autem ex nobis remanens cum illo, dixit:!) Adhuc, Magister dilectissime, capitulum unum de libro quem dictasti, deest, et fortasse difficile tibi est plus docere. At ille: Facile est, inquit: accipe tuum calamum, et festinanter scribe. Quod ille fecit. Subiicit deinde: Puer autem praefatus, Dilecte, inquit, Magister, adhuc una sententia non est descripta. Et ille: scribe, inquit, cito. Post modicum dixit puer: Modo sententia descripta est, et opus consummatum. Et ille: bene, ait, dixisti consummatum: iam nunc caput meum manibus paulisper sustentans, erige. Multum quippe delectat sedere ex adverso loco sancto, in quo orare solebam, ut et nunc sedens Patrem meum coelestem invocare possim. Sicque in pavimento suae casulae decumbens, atque post orationem decantans: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: cum Spiritum sanctum nominasset, suum e corpore exhalans spiritum, ad regna emisit coelestia. Ita Cuthbertus. Haec scilicet Sancti Bedae in senectute (nonagenario maior fuisse fertur) exercitationes, haec mentis et studii curricula, haec palaestra ingenii. Ab uno hoc discere omnes, et pro dignitate aestimare quivis potest.

(Continuatio in fasc. seq.)

Gillon le Muisi, Abt von St. Martin in Tournai, sein Leben und seine Werke.

Nach den Quellen bearbeitet von Dr. Philipp Wagner.

(Schluss zu H. II. 1897, S. 252—263.)

Der poetische Nachlass le Muisis umfasst zwei umfangreiche Octavbände. Der Charakter dieser Dichtungen ist ein Gemisch von religiös-didaktischen, satirischen Reflexionen und erzählenden Lebenserinnerungen. Was der greise Abt in seinem langen Leben gesehen, gehört und gelernt, was er Gutes und Schlimmes erfahren und erduldet, was er an Lebensweisheit gesammelt hat, breitet er hier gleich einem bunten Teppich vor den Augen seiner Mitmenschen und der Nachwelt aus. Seine Poesieen sind daher nicht bloss in mancher Beziehung eine Ergänzung zu den biographischen Mittheilungen seiner chronistischen Werke, sondern überhaupt ein Spiegelbild der ganzen Zeit.

Wie erst der Verlust des Gesichts le Muisi die Musse und das Verlangen gab, das, was sein Inneres bewegte, der Poesie anzuvertrauen, so bilden auch die Gedanken über den eigenen

1) Nota de Rogationibus et Reliquiis Sanctorum.